



1567

1893

o. XVII, 291.

15. 4. 4

15


THEMATA
 ORDINARIAE DISPUTA-
 TIONIS, FUTURAE AD DIEM
 XXIII mensis Maij, presidente Ioanne
 Pseffingero, sacrae Theologiae Doctore
 & pastore Ecclesiae Lipsensis, de mi-
 nisterio tam Ecclesiastico quam ci-
 uili, & quod inter haec discri-
 men sit, applicata ad Eu-
 angelij Matthei
 caput IX.

ANNO M D XLIIII.



LIPSIAE
 APVD VALENTINVM
 PAPAM.





T
O
F
M
fac
Li



ta
nu
su
H
ra
ni
te
ti
ni
qu
ca
tu



THEMATA

ORDINARIAE DISPUTATIONIS
FUTURAE AD DIEM XXIII.

Mensis Maij, presidente Ioanne Pseffingero,
sacrae Theologiae doctore & pastore Ecclesiae
Lipsensis, de ministerio tam Ecclesiastico quam
civilis, et quod inter haec discrimen sit, ap-
plicata ad Euangelij Matthei
caput IX.



Videns populos, misericordia eorum motus est, quod essent exhausti & dissipati, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, Messis multa est, operarij uero pauci. Orate igitur Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.

I

Et si beneficia quotidiana, quae Deus imper-
tit generi humano uidelicet uita, uictus, ter-
rae foecundatio, politiarum defensio, testimo-
nia sunt bonitatis Dei adeo illustria, ut sapien-
tes etiam inter Ethnicos mouerint, ut prouiden-
tiam esse faterentur, tamen Ecclesia Dei testimo-
nia bonitatis & misericordiae clariora tenet,
quia scit Deum se patefecisse certis testimonijs,
& dedisse Euangelium, & subinde obscura-
tum repurgasse, nec esse inanem fabulam Euan-
gelium.

A 2

gelium.

gelium. Sed uere, ut Paulus inquit, Potentiam
Dei ad salutem omni credenti: hoc est, inchoa-
ri uitam æternam uoce Euangelij in credentib.

II

Extat & in hoc loco Matthei testimonium
misericordiæ Christi erga nos dolentis deesse
pastores & doctores idoneos, & populum mise-
re perire ruentem, aut in Epicureos furores,
aut in dubitationes & desperationes extincta
luce Euangelij. Nam mens oppressa dubitatio-
ne an remittantur peccata, an exaudiamur, non
inuoat Deum, nec in huius uitæ ærumnis petit
auxilium, nec expectat salutem æternam, & tan-
dem ruit in æternum exitium. Has summas mise-
rias maxime intelligit Christus, & misericor-
dia nostri affici se testatur, & iubet peti instau-
rationem ministerij, ut ipse tota nocte precatur,
ut Lucæ 6. dicitur, antequam duodecim Aposto-
los eligit. Docet autem & ipse & mittit iisdem
mandatis Apostolos & alios septuaginta.

III

Hanc Christi misericordiam & sollicitudi-
nem agnoscamus & ei gratias agamus, & mini-
sterium Euangelij audiamus, ac ueneremur tan-
quam præcipuum Dei donum in terris.

IIII

Duplex est gubernatio, altera politica, alte-
ra Ecclesiastica. Estq; utraq; à Deo instituta, &
uero studio ab hominibus ueneranda. Sed discrimen

men

men teneatur.

V

Magistratus politicus seu gladium gerens, est potestas à Deo ordinata, defendens disciplinam externam et pacem, honestis legibus, iudicijs & pœnis corporalibus.

VI

Nec politicus Magistratus tantum est armentarius, hoc est neglecta disciplina pacem defendens, ut armentarij tantum corpora pecudũ curant. Sed longe maius officium tenet, uidelicet ut ante omnia curet, ut uera Dei doctrina in sua ciuitate sonet, nec manifesti contemptus Dei, aut Idola & libidines permittantur, ut Ethnici permittebant. Ideo dicitur in psalmo: Et nunc reges intelligite, Erudimini qui iudicatis terram.

VII

Sciat se magistratus non tantum secundæ tabule Decalogi custodem esse, sed etiam primæ, quod ad disciplinam attinet. Id officium seuerissimè requirit Deus ab omnibus gubernatoribus. Et de hoc officio uocabit in iudicium omnes reges & principes Christus in postremo iudicio, etsi in hac uita etiam multi reges & gubernatores puniuntur propter Euangelij odium, & blasphemias, ut Pharao, Sennaherib, Antiochus, Diocletianus, Maxentius, Maximianus, Licinius, Iulianus, & alij innumerabiles. Scriptum est enim: Glorificantes me glorificabo, At contemntes me, reddam contemtos.



VIII

Dixi autem prudenter tenendum esse discrimen gubernationis politicae, et ministerij Evangelici. Nam confusio seu κακοζηλία ingentes errores peperit & olim, & hac ætate apud Anabaptistas.

IX

Non sunt imperia mundi prætextu ministerij Evangelici occupanda. Non ideo Rom. Episcopus fingat se dominum esse Imperij Romani, quia mandatum habet docendi Evangelij Romæ. Nec prædicans Euangelium in urbe monasteriensi propterea occupet urbis imperiũ.

X

Aliud ministerium est Evangelicum, institutum ut res perpetuæ, noua lux, agnitio filij Dei, iustitia et uita æterna in nobis inchoentur.

XI

Sunt autem hæ partes ministerij Evangelici, prædicatio Evangelij, Administratio sacramentorum Baptismi, Cœnæ Domini, Absolutionis, Iurisdictio Ecclesiastica quæ exercetur excommunicandis contumacibus sine ui corporali, & receptio emendantium mores, & petentium se recipi, Item uocatio seu electio ministrorum Evangelij.

XII

Humanæ sapientiæ ridicula res uidetur, polliceri reconciliationem Dei, & uitam æternam per uocem & cognitionem Evangelij credentibus. Sed Ecclesia certissimis testimonijs scit hanc

hanc uere esse uoluntatem Dei, uidelicet cre-
dentes uoci Euangelij, uere recipi à Deo in
gratiam, & uere donari spiritu sancto, ac fieri
heredes uitæ æternæ.

XIII

Difficile est humano cordi ex solo Euange-
lio pendere ac fide regi, sed malleus nobis da-
ri nouas reuelationes seu illuminationes, & sen-
sibilem conspectum Dei, sicut Philippus dicit:
Domine ostende nobis patrem. Ideo uox & co-
gitatio Euangelij negliguntur, & res inutiles
existimantur, cum Deus uere uelit tantum agno-
sci hac cogitatione quomodo se per Euangeliū pa-
tescerit, et hac cogitatione Euangelij uere sit
efficax in credentibus. Sicut multa testimonia affir-
mant. Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad
salutem omni credenti. Ioa. 17. Pater sanctifica
eos uirtute tua, Sermo tuus ueritas est. Christus
expresse inquit, Sanctificari mentes uerbo Dei.
Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus per uer-
bum Dei. Rom. 10. Prope est uerbum in ore
tuo, & in corde tuo, Si confiteberis ore tuo Do-
minum Iesum, & corde tuo credideris, quod
Deus eum suscitauerit à mortuis, saluus eris. Ie-
saia 51. Posui uerba mea in ore tuo, & umbra
manus meæ protexi te, ut plantes cælos, ait hoc
uerbum efficax esse ad colligendam Ecclesiam.
Nam membra Ecclesiæ sunt plantulæ cæli. 2.
Corinth. 5. Posuit in nobis uerbum reconcilia-
tionis.

tionis. Rom. 15. Ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Ita nos scriptis Prophetis & Apostolicis sustentare animos iubet, ac si Deum nobiscum familiariter & coram loquentem audiremus. Gal. 3. Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. 1. Thesalon. 2. Recepistis sermonem, qui est efficax in uobis credentibus. Ioan. 20. Beati qui credent etiam cum non uideant.

XIIII

His & similibus dictis confirmemus nos, ac discamus usum uerbi Dei, hoc est, inuocemus hunc Deum, qui se patefecit misso filio suo Iesu Christo crucifixo pro nobis & resuscitato, & dato hoc Euangelio, & acquiescamus in Deo cogitatione promissionum.

XV

Sic uult Deus liberare nos ex morte, ut Christus inquit, Ioan. 8. Si quis sermonem meum seruabit, non gustabit mortem in aeternum. Et in quotidianis aerumnis discamus nos hoc modo uoce Euangelij sustentare, & acquiescere in Deo cogitatione promissionum de liberationibus corporis & animae.

XVI

Hæc fidei exercitia in Ecclesia nota esse debent, quæ quidem omnibus ætatibus ab hypocritis fuerunt obscurata. Gnostici, Enthusiastæ, Anabaptistæ, & alij hypocritæ, quia ignorant
hanc

hanc doctrinam de usu uerbi Dei, & de fide, contemnunt & ministerium docendi, & ipsum uerbum Dei, & fingunt se præparationibus suis & operibus nouas illuminationes impetraturos esse. Hi furores delent Euangelium, ac sæpe & diligenter refutandi sunt, ut nos ipsos ad amorem & usum uerbi Dei exuscitemus.

XVII

Cum igitur Deus uelit mentes nostras alligatas esse ad uerbum suum, & per id uelit imperire uitam æternam, instituit ministerium ab initio in paradiso, & subinde instaurauit, per patres, Prophetas, Christum, Apostolos. Imò clare inquit Paulus: Ascendit dat dona hominibus, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, Pastores, Doctores, adfirmans inter dona, quæ Christus regnans assidue impertit Ecclesiæ, & hoc donum, conseruationem ministerij Euangelici, cui adest, per quod est efficax, & ad quod retinendum subinde excitat idoneos instauratores. Et addit Paulus clarè, ne circumferamur omni uento doctrinæ.

XVIII

Alligat nos ad Euangelium, ne fingamus ipsi opiniones de Deo, et inuocatione nostra temeritate, ut quotidie noua Idola, & nouos cultus Ethnici excogitarunt, & recentior ætas inuocationes mortuorum excogitauit, & alios quosdam errores amplexa est, similes ethnicis,

ut de satisfactionibus, de merito Missæ &c.

XIX

Et quid sonet ministerium Euangelij in summa Christus recitat Lucae ultimo: *Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Hæc eadem fuit summa doctrinæ, quæ primum sonuit in Paradiso cum Adam restitueretur: Arguit uox diuina peccatum eius, & edidit promissionem de uenturo liberatore, qua consolatione, & tunc, & postea in multis magnis doloribus se sustentarunt Adam & Heua. Idem Patres & Prophetæ docuerunt. Estq; una consentiens doctrina Euangelij uniuersæ Ecclesiæ Dei inde usq; ab initio, mansura perpetuo, etsi Diaboli & fanatici homines, & alij impij eam obruere, delere, dilacerare conantur. Christus regnans ad dextram patris, est sacerdos in æternum, semper igitur fungitur sacerdotio, interpellat pro suo choro, & mittit doctores ad suum chorum. Semper aliquem cœtum sibi seruat, in quo sonat uox Euangelij aliàs magis, aliàs minus pure. Nam & pij supra fundamentum interdum extruunt stipulas, sed admoniti emendant.*

XX

Debetur autem obedientia ministerio Euangelij in his quæ propria sunt ministerij, id est, uoci Euangelij, ut dicit Christus. Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit, me spernit. Nec præte

prætextu ministerij obedientia flagitetur in ob-
seruatione traditionum humanarum, ac super-
stitiosarum, ut legis cœlibatus, aut aliarum su-
perstitionum. Necesse est enim discerni ministe-
rium Euangelij, per quod Deus sanctificat men-
tes & uere est efficax, ab inanibus ritibus, per
quos Deus non est efficax. Qualis furor est pa-
ri necessitate præcipere cognitionem Euange-
lij, & legem de cœlibatu.

XXI

Nec propterea conceditur ordinis confusio,
laxatis traditionibus. Nam optima custos ordi-
nis est, uera & non simulata reuerentia ministe-
rij Euangelici, ad quam omnes homines iure di-
uino sanctissimè obligati sunt, & de qua dici-
tur ad Hebræos ultimo, obedite doctoribus ue-
stris & sitis eis morigeri. Ipsi enim uigilant
pro animabus uestris tanquam reddituri ratio-
nem, ut cum gaudio hoc faciant, & non gemen-
tes. Per sese magnum onus est gubernatio Ec-
clesiæ, uidelicet explicare doctrinam, refutare
aduersarios, consulere dubitantibus conscien-
tiji. Sed cum accedunt domestica discordiæ &
contumaciæ, duplicatur labor. Ideo dicit ne ge-
mentes seruiant. Sic igitur traditiones de ordi-
ne actionum in Ecclesia seruando utiles ad εὐ-
ταξίαν & non pugnantes cum Euangelio pij
sciunt obseruandas esse, ne præbeant causam
sandalis, & obseruant sine superstitione & si-
ne opi

ne opinione necessitatis.

XXII

Ridiculum est quod ministerio Euangelij adiungunt uinculum traditionum humanarū, & non adiungunt studia literarum, necessaria Ecclesie ad expliationem scriptorum Prophe-
ticorum & Apostolicorum. Hæc magis coniun-
cta sunt ministerio Euangelij, quàm traditio-
nes. Ac scholæ piæ sunt pars ministerij Euange-
lici.

XXIII

Ad ueram & non simulatam reuerentiam mi-
nisterij præcipue requiritur precatio, de qua
hic Christus dicit, Orate ut Deus extrudat o-
perarios in messem suam. Sic ipse pro ministris
& pro tota Ecclesia orat mox ante agonem
suum. Ioan. 17. Pater serua eos in nomine tuo,
quos dedisti mihi, ut sint unum sicut nos, sint te-
cum & inter sese concordēs. Et repetit præca-
tionem. Pater sanctifica eos in ueritate tua, Ser-
mo tuus est ueritas. Et Paulus sæpe iubet Eccle-
sias præcari, ut Deus adiuuet Euangelij prædi-
cationem. Hæc mandata nobis proponamus, ac
uero gemitu Ecclesie calamitates considere-
mus, & Deum oremus, ut det ministros saluta-
res & seruet Ecclesiam suam.

XXIII

Et in hac inuocatione cogitemus ubi & cur
sit effiçax oratio. Inuocant Deum omnes gentes
quam=

quamlibet barbaræ & ignaræ Christi, Tartari, Turci, Iudæi. Vt tot hominum ac tot gentium precatio inane murmur est, ita sciamus nostram precationem non esse irritam, sed uere placere Deo, exaudiri, & impetrare bona. Quia promissio facta est Ecclesiæ sonanti Euangelium. Vt Ioan. 15. dicitur: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, Quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Testatur Christus ibi exaudiri preces, ubi manet uox Euangelij.

XXV

Coninugamus igitur gemitus, uota & preces, præsertim in hac postrema senectâ mundi, in qua maiores confusiones ministerij prædictæ sunt, & clamemus ardenti pectore. Omnipotens æterne Deus, æterne pater DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, conditor omnium rerum & conseruator & opitulator cum filio tuo cœterno Domino nostro IESU CHRISTO, et spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, qui elegisti tibi Ecclesiam dilectam propter filium, & promisisti te exauditurum esse preces eius, miserere Ecclesiæ tuæ propter IESUM CHRISTVM filium tuum, & exuscita doctores & gubernatores salutare, & rege eos spiritu sancto tuo, et defende ministerium Euangelij, et Ecclesiam tuam aduersus furores Diaboli, aduersus Turcicâ arma, & aduersus omnes

omnes impios. Nec sinas deleri nomen filij tui
Domini nostri IESV CHRISTI.

Sed ex ore infantium & la-
udentium perfice

la-

udem tuam

A M E N.

9
193469

ULB Halle 3
004 396 014



Sp.

710







15 44

THEMATA
ORDINARIAE DISPUTATIONIS, FUTURAE AD DIEM
XXIII mensis Maij, presidente Ioanne
Pfeffingero, sacrae Theologiae Doctore
& pastore Ecclesiae Lipsensis, de mi-
nisterio tam Ecclesiastico quam ci-
uili, & quod inter haec discri-
men sit, applicata ad Eu-
angelij Matthei
caput IX.

ANNO M D XLIIII.



LIPSIAE
APVD VALENTINVM
PAPAM.

